

Willelmi Malmesbiriensis monachi de gestis regum Anglorum

PL 179, 1190A-1191C

DE ANNULO STATUAE COMMENDATO.

§ 205. Verum, ut Romam revertar, ejusdem urbis civis, ephoebus aetate, locuples opibus, genere senatorio sublimis, uxorem noviter duxerat; sodalibus suis accitis, convivium frequens paraverat. Post cibum, cum minutioribus poculis hilaritatem invitassent, in campum prodeunt, ut oneratos dapibus stomachos vel saltu, vel jactu, vel aliquo exercitio attenuarent. Ipse rex convivii, ludi signifer, pilam poposcit: interim annulum sponsalitium digito extento statuae aereae, quae proxime astabat, composuit. Sed cum pene omnes solum impeterent, suspiriosus, extis incalscentibus, [Col.1190B] primus se a lusu removit: annulum repetens, invenit statuae digitum usque ad volam curvatum. Diu ibi luctatus, quod nec annulum ejicere, nec digitum valeret frangere, tacite discessit; re sodalibus celata, ne vel praesentem riderent, vel absentem annulo privarent. Ita nocte intempesta cum famulis rediens, digitum iterum extentum, et annulum subreptum, miratus est. Dissimulato damno, novae nuptiae blanditiis delinitus est. Cumque hora cubandi venisset, seque juxta uxorem collocasset, sensit quiddam nebulosum et densum inter se et illam volutari, quod posset sentiri, nec posset videri. Hoc obstaculo ab amplexu prohibitus, vocem etiam audivit, «Mecum concumbe, quia hodie me desponsasti: ego sum Venus, cuius digito apposuisti [Col.1190C] annulum; habeo illum, nec reddam.» Territus ille tanto prodigio, nihil referre ausus est nec potuit; insomnem illam noctem duxit, tacito judicio rem examinans. Elapsum est in hoc multum tempus, ut quacunque ille hora gremio vellet conjugis incumbere, illud idem sentiret et audiret; alias sane valens, et domi aptus et militiae. Tandem, querelis uxoris commonitus, rem parentibus detulit: illi, habito consilio, Palumbo cuidam suburbano presbytero negotium pandunt; erat is nigromanticis [necromanticis] actibus instructus, magicas excitare figuratas, daemones territare et ad quodlibet officium impellere. Pactus ergo grande mercimonium, ut, si amantes conjungeret, multo aere fulciret marsupium, in omne [Col.1190D] se ingenium notis artibus excitavit, compositamque epistolam juveni dedit: «Vade, inquiens, illa hora noctis ad compitum ubi se findit in quadrivium, et stans tacite considera. Transient ibi figurae hominum utriusque sexus, omnis aetatis, omnis gradus, omnis postremo conditionis; quidam equites, quidam pedites; alii vultum in terram dejecti, alii [Col.1191A] tumido supercilium elati; et prorsus quicquid ad laetitiam vel tristitiam pertinet, in illorum videbis et vultibus et gestibus: nullum eorum compellabis etsi loquantur tecum. Sequetur illam turbam quidam, reliquis statura

procerior, forma corpulentior, curru sedens; huic tacitus epistolam trades legendam: fiet e vestigio quod voles, fac tantum praesenti animo sis.» Aggreditur ille iter praeceptum, et, nocte sub divo astans, fidem dictorum presbyteri visu explorat; nihil enim fuit quod minus promissis desideraret. Inter caeteros quoque transeuntes vidi mulierem ornatu meretricio mulam inequitantem; crinis solutus humeris involitabat, quem vitta aurea superne constrinxerat; in manibus aurea virga qua equitaturam regebat: ipsa, prae tenuitate [Col.1191B] vestium pene nuda, gestus impudicos exequebatur. Quid plura? Ultimus, qui dominus videbatur, oculos terribiles in juvenem exacuens, ab axe superbo smaragdis et unionibus composito, causas adventus exquirit: nihil ille contra, sed protenta manu porrigit epistolam. Daemon, notum sigillum non ausus contemnere, legit scriptum; moxque, brachiis in coelum elatis, «Deus, inquit, omnipotens, quamdiu patieris nequicias Palumbi presbyteri?» Nec mora, satellites a latere suo misit qui annulum extorquerent a Venere: illa, multum tergiversata, vix tandem reddidit. Ita juvenis, voti compos, sine obstaculo potitus est diu suspiratis amoribus. Sed Palumbus, ubi daemonis clamorem ad Deum de se audivit, finem dierum sibi praesignari intellexit. [Col.1191C] Quocirca, omnibus membris ultiro truncatis, miserabili defunctus est poenitentia, confessus papae coram populo Romano inaudita flagitia. hoc omnis Romana regio usque hodie praedicat, matresque docent liberos suos ad memoriam posteris transmittendam.